PANDVLPHI SFONDRATI

CREMONENSIS.

In febrim.



TAVRINI

Apud hæredes Nicolai Beuilaque.

M. D. LXXVI.

P. S. BEROLDO PINGONIO,

S. P. D.

QVANTA Berolde mi ſummum virum parentem tuum obſeruatione dignum cenſuerim, ex eo potiſsimum iudicare tuum eſt: Quod ſcilicet dum acri ſanè febre, præmeretur, Naturam conuitijs, ſummum denique Iouem querelis, & lamentationibus laceſſere nō dubitauerim. Qui tamen vel tanti viri periculo moti, vel acerbiores mearum irarum ſtimulos in futurum prę cauentes, illum ſanitati, à me acerrimo animi motu efflagitatę, reſtituere boni conſuluerunt. Quum aūt te nuper eodē feruore correptū eſſe acceperim, quędā

vero ab iis ipsis summis Diis quæ parens tuus obseruaret, præscripta forent, eorum te nescium esse nolui, vt si forte ex multis quicquam te subleuare posset, Deorum auspicio saluti tuæ consuleretur. videto, quicquid id est, æquo animo meque in vestræ domus consuetudinem ab optimo parente tuo iam receptum, tuo etiam suffragio recipiendum velis, valetudinem tuam fac mi Berolde vt diligenter cures, Hoc parentibus amantissimis, hoc mihi facere gratius nihil potes.

HEI mihi febre meus Pingonius alget et ardet.
Cur numeris non ſtant corpora noſtra ſuis?
Frigida materies cur turbat inhoſpita pectus?
Cur furit accenſus feruidus inde calor?
Extingunt & alunt contraria diſpare caſu,
Par parem alit caſu diſpare parq; necat,
Fluctuat ĩ ſtipulas flammis crepitãtibus ignis,
At vis in cineres ignea nulla poteſt.
Non ſiccum nutrire poteſt ſiccus cinis ignem,
In ſtipulis ignem qui latet humor alit.
Effugiunt virides ſtipulas celeri pede flammę,
Nec cineres ſiccos flamma cremare poteſt.
Quum calor humores imis decoxit in extis,
Nec tumidos angunt cingula laxa ſinus;
Ac ſi oleum enectę diſtilles vaſe lucernę,
Sic reficis ſumpto corpus inane cibo.
Verum oleum lichno ſi forte ſupernatet alte
In luxu, ſtuppas deſerit, ignis inops.
Sic ſi forte cibos tot plena ingeſſeris aluo,
Vt grauis euacuet ſpiritus ore latus;
Non ij corpus alunt, ſed cruda mole fatigant.
Vimq; premunt lento quę coquit igne cibum.
Debilis humores incoctos illa per orbem,
Digerit impurat putrida bilis epar.

Humor is in corpus per uenas spargitur omne,
Et prohibet uacuas spiritus esse uias.
Densaq; materies tenues obtrudit hiatus,
E quibus euacuat corporis aura cados.
Seuior inclusus fuerit ignis, & omnia turbat
Motibus. in toto est corpore nulla quies.
Humidus igne uapor feruet per corpus anhelũ,
Vis animę venas ariete crebra ferit.
Qui studet ut uibret ceruino pectora saltu,
Et fluuium sicco transiliisse pede,
Retro lentus abit, frontis uice tergus it anceps.
Haustaq; suspensos sustinet aura pedes.
Ut visum spacij satis est, uolat ocyor aura.
Et celer excussum traijcit arte latus.
Sic calor exosum cupiens expellere frigus,
Et uacuos crudis hostibus esse lares.
Cordis in internũ reuocat penetrale maniplos,
Et quęcunque potest suscitat arma domus.
Sæuior ut ualidis inde impetat ictibus hostem,
Atque uetet muros obsidione premi.
Frigus at interea crebro premit ariete portas,
Iamque putat uictis hostibus urbe frui.
Iã pauidos circa murum tremor occupat artus,
Auraque concussis dentibus ora quatit.

Imbellis miles cedit statione relicta,
Iam victrix vallum gens inimica tenet.
Tum calor impatiens irarum erumpit anhelus,
Purpureus forti pingitur ore pudor.
Irruit, & uibrans inimica per agmina ferrum
Audacem cogit castra referre pedem.
Acrius oppreßis insultans hostibus urget.
Collisum efferuet frigus ab igne magis.
Torridus inde uapor Pingonia mẽbra perurit,
Et tantum excruciat nocte dieque uirum.
Heu natura pijs precibus cur obstruis aures,
Fæmineo cur te nomine dura uoco?
Cur non ulla tuum mouet indulgentia pectus,
Cur ueniam erratis ò dea cruda negas?
Cur non debueras tanti memor esse laboris,
Aßidue pro te quem uir hic ipse subit?
Nõne uetus tenebras p eũ gẽs Saxona fugit?
Prima tibi est radix unde Sabauda domus?
Nonne hic Taurinæ primordia protulit urbis?
Quis Vercellarum nunc reuolutat auos?
Hastẽsis decus antiquum nõne hic docet urbis?
Astu quæ gręco nomine forsan erat?
Fertilis ad mõtẽ uelut urbs Eporedia dicta est,
Vi Dorę exesus quà lapis arctat iter.

 Carmine

Carmine Romani bissena poemata iuris
Quod biscena iubet sculpta tabella canit.
Quis dignis ipsos superos tot laudibus æquat?
Audeat hęc summa quis nisi stirpe Deum?
Docta iuuentuti tot quisnā epigrāmata fudit?
Consilio prudens quis magis esse potest?
Consilio cur est supremo ascriptus ab ipso
Principe? cur causas decidit ipse fori?
Has Natura suo segetes tibi reddit aratrò
Hoc tibi perpetuum limite sulcat iter.
Ergo quid imprudens si indulsit forte palato
Delictum meritis æqua repende suis,
Plura dedit, sed plura parat, cōpesce flagellum
Vlcisci raro, parcere sæpe Dei est.
Talibus immitem dum obiurgo iure parentem,
Hęc uario uultum picta colore refert,
Moribus indulges proprijs, humana reposcis.
Meq; tui similem, teque mei esse putas.
Falleris humana dum pendis lance meum ius
Omnia cum summo sunt mihi mixta Ioue
Legibus obstrinxit nos duri regula fati,
Huic paret quicquid uertit uterque polus,
Magna minorue Deum uis lege tenetur eadem,
Cogitur officijs quisq; uacare suis.

Quod

Quod mihi subijcitur pro uiribus anxia tractio,
Fallere materiam fasque piumque uetat.
Cogor Arithmeticis metiri finibus omnia,
Et numeris formas fingere quasque suis
Quod satis est maribus nō est quod fœmina quę
Ex non perfecto fœmina fitque mare, (rat
Deest uni si aliquid fit membro debilis illo,
In quo seminibus contigit esse notam,
Qualibet in specie seruatur terminus idem,
Quęlibet hoc uno uomere rura sero,
Non ego materias opifex seruilis in unum
Iungo sed in iunctis uis mea rebus agit,
Iusserunt sua cuique dari iustissima fata,
Nec cuiquam alterius scalpere iura licet.
Possidet id quod quisque tulit de corpore toto,
Nullaque pars eius non sua iura tenet.
Hinc est lenta salix, hinc duro robore quercus,
Singula compositi pro ratione sui,
Compositum mihi nulla datur uariare potestas,
Summa ministerium fata fidele iubent.
Qui modus in rebus gignendis surgit, & ordo
Curat, & in terris corpora quicquid alit.
Iccirco si forte cibis inflaueris aluum,
Quodue memor damni respuat aluus edas;
Tollere

Tollere duritiem mihi non conceditur utri,
Nec fieri possit me duce dulcis acor.
Hæc calor & frigus pro uiribus urget uterq;,
Dum minor alterius uiribus actus abit.
Ut fugit in pugna mage fortem debilis hostem,
Hi duo sic quum sit fortior alter, agunt.
Nulla Deos unquam necis horrida teret imago,
Aeterna superant posteritate necem.
Fata etenim æternis formam quęrentia rebus.
Hunc statuere Deum litibus esse modum.
Ne minor aduerso maiori debilis obstet,
Nec contra obnixus ui minus æquus eat.
Cuilibet e superis satis est sua nota potestas.
Hanc nulli cedit, plus nec habere cupit.
Sorte sua contentus agit feliciter æuum.
Aeuum cui prorsus finis & ortus abest.
Quod si congressus minus æquo milite fiat,
Debilior reuocat signa canente tuba.
Nec pudor insultum uitanti ascribitur ullus,
Qui modo uictus abit, post modo uictor erit.
Inter & humanos modus hic nō tēnitur, astus.
Sæpe quis hinc similis uisus inesse Deo.
Sæpius obtriuit fallacibus Hannibal armis,
Qui tandem patriæ, qui sibi fata ferant.

Transit

Transit ab alternis victoria milite castris.
Nunc Marius, nunc pre milite Scylla ualet.
Sic calor & frigus repetito iure uicissim
Scepra tenent, cedit debilis usque locum.
Nulla fugam lato proturbat in aere moles.
Quilibet offensa tutus ab hostis abit.
Gaudet & æternæ securus pacis uterque.
Concordem discors quam facit esse metus.
Naturam pars queq; tenet totius acerui.
Haustaq; qđ maris est, id sapit unda maris,
Corpore qui in uestro frigusq; calorq; mouētur,
Aethereæ memores stirpis ad usq; manent.
Nouerunt uires proprias diuinus uterque,
Sit licet obducta clausus uterque cuti.
Fortior aduersum premit obuius, ille timore
Non necis, at fati cedere quàque cupit.
Diuinos studium recti, non pœna timor ue
Extimulat, graue Dij nil nisi turpe putant.
Quæritur hac illac pernix fuga carcere toto,
Hac illac toto carcere clausa uia est.
Vndiq; portarū prohibēt fera claustra recessus.
Quid faciat? toto spargitur ore pudor.
Frigore conclusus calor ęstuat, instar et Aethnę
Liquitur, oppresso sudor ab ore fluit.

Mens

Mens est certa Deum fatis obedire, fugaque
Debilior forti cedere castra cupit.
Vndiq; sed muris prohibetur abire reuinctus,
Pronaque mens animo non obedire potest.
Vna salus pugnę committitnr, irruit armis
Vique uiam agresso strenuus hoste parat.
Proterit aduersum quicumq; fit obuius hostē,
Strictaque magnanimus cominus arma rotat.
Non obitum Diui metuunt pugnatur utrinque,
Effugium stipum corpus utrique negat.
Si gladiatores pugnantes uideris usquam
Fit subito existat uictor ut alter ames,
Corpus adest minuiq; cupit per uulnera frigus,
Nec tamen extincta lite perire uelit,
Omnes unus amor ꝓprius premit urget et ăgit,
Proximior nulli quam sibi cura sui est.
Si penitus cedat frigus timido pede castris
Corporis est subito dissoluendus honor.
Pugnanti quecumque potest ergo arma calori
Suggerit auxilijsq; undiq; castra iuuat.
Auctus suppetijs extrema pericula tentat,
Vt teneat Regni pristina sceptra calor.
Si numero dederit fatum pręstare, recedit
Frigus ui, & muros obsedione leuat.

At

At ſi debilior temeraria ad arma mouetur
Exul in æternum limine pulſus abit.
Hęc ſeries rebus fato prę ſcripta futuris
A Ioue principium mobilitatis habet.
Hic modus æterna ſeruatur lege, nec ullas
Auribus admittunt fata ſeuera preces.
Deſine nos igitur ſine iure laceſcere cauſa
Fine datur certo ſingula quę que ſequi.
Nec quę mortali ſenſu tibi iuſta videntur
Iudicio Diuum iuſta futura putes.
Hęc tamen afflictos placent ſolatia ſenſus.
Iamque hilares triſti pectore finge modos.
Si modo numinibus noſtris mens prę ſcia certi
Singula ſi numero & pondere rite uidet.
Effugiet ſtygias noſter Pingonius undas
Iam Ioue reddetur priſtina dante ſalus
Sic modo pollicitus quum ſupplex nata querelas
Funderet è ſummo uertice nata patris,
Quid Pater omnipotēs noſter Pingonius inſōs
Commeruit? fato ſiccine noſtra premis?
Scis pater hīc noſtris quę accedat gloria rebus.
Num teneras ſegetes inuida fata ſecant?
Quod ſi forte mala quiſquā quid ruminat arte
Forſitan aſſueſcas turpia poſſe pati?

Concilio

Concilio dignus nostro Pingonius, ictu
Præfestinato tartara nigra petat?
Finierat lachrimās quum Iupiter oscula libans,
Suauiter humidulis oscula sumpta genis.
Nostrum nata decus uitę, cui nulla reperta
Digna parens capitis sarcina sola mei.
In lachrimas me te spectare dolore solutam?
Cuius nil lachrimas pectore torsit? ait.
Ergone tanta tui pręterfers signa doloris,
Iusta queri, solo nata dolore probas.
Solue metus. viuet Pingonius, orbeq; toto
Pectoris ingenui præmia digna feret.
Non tereti glomerantur adhuc tot stamina fuso.
Quot vitæ illius tres statuere Deę.
Si tamen ulla tui te cura remordet alumni,
Si desiderio subdere fata cupis,
Cautius admonito ut uitales temperet auras,
Cautius incautę uela regatq; ratis.
At quid enim in cassum uotis obtundimur? ex se
Cur qđ quisq; potest numina nostra rogat?
Nosse quid expediat dedimus, cur uota precesq;
Non cessant resides fundere? facta negant?
Quin sua contendunt ascribere crimina nobis,
Atque reos uanę nos leuitatis agunt.

Alma rogabatur nuper Natura, fateri
Quæ pudet. & quæ nos non meminisse decet.
Respondit nostram decuit velut illa sororem,
Omnis & a dictis absfuit ira procul.
Illius fac dicta tuus bene seruet alumnus,
Omnibus á nimijs contineatq; manus.
Heroum nobis curamus sæpe referri
Facta (trahũt nostro è semine summa genus)
Huic sępe (ad nostras ut nuper uenit ad aures)
Casta quidem, succi plena sed uxor obest.
Illi, quę nobis placuerunt sępe, negemus?
Absit, at & nimij nectaris usus obest.
Quæ Ganimedæis gustamus pocula palmis,
Absynthi, aut aloes, si modus absit, erunt,
Fac igitur tuus ut tandem Pingonius ultro,
Id facere aßuescat, quod iubet alma soror.
Sic terris longeua suę dabitur uia uitę,
Canaq; pignoribus tempora iura dabunt.
Sic mihi sicq; tibi est hinc grata futura uoluptas.
Ex uno duplex palmite fructus erit.
Hunc uxor natis fecit fœcunda parentem,
Quinq; fere numero, est fœmina masq; pari.
Ora rosis niueoq; nitent ex lacte puellis,
Tam fera ni coniux sit mea, raptor erim.

Moribus

Moribus & uirtute mares tua numina seruāt
Quę pariunt ętas uix sua ferre potest.
Ipse etiam exemplo defendit tenuia nostro?
Et miseros animi nobilitate iuuat.
Iamdudum nostro Pingonius est hic in ære,
Quod nunc commendes quærimus inde nihil.
Est tua grata tamen pietas quodq; ipse uolebam
Sponte, magis nunc te Nata uolente uolo.
Vrgidulos lachrimis natę solatus ocellos
Tum mihi tum famulis fronte serenus ait.
Tu soror ardoris. feruentia uincula solue,
Tuq; calor, tu uis, frigoris ite pares.
Dixit ego parere paro, frigusq; calorq;
Numina pallentes extimuere Iouis.
Dum Natura mihi Iouis hęc secreta recludit
Accingens iusso cum famulis se operi
Paulatim solitæ redduntur membra saluti
Corpore paulatim uisq; colorq; redit.
Nunc ego thus adolere focis niueaq; bidenti
Sacra paro uobis Iuppiter atq; soror.

FINIS

Compl. Hist. Ath.

(air)